



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii  
Apostolici, olim Venusinæ, postea Æsinatis, ac demùm  
Parmensis Ecclesiæ Vicarii Generalis, &c. Formularium  
legale practicum Fori Ecclesiastici**

in quo formulæ expeditionum usufrequentium de his, quae pertinent ... ;  
cum appendice plurium constitutionum apostolicarum

Formularii Legalis Practici Fori Ecclesiastici Supplementum - In Quo Non  
Solum Omnes Feré Formulæ, quæ in præcedentibus tribus Libris  
continentur, novis quamplurimis adnotationibus Legalibus Practicis, ac  
Sacrarum Congregationum Responsis roborantur; verùm etiam nonnullæ  
aliæ, quæ ad Operis ...

**Monacellus, Franciscus**

**Venetiis, 1732**

Erectionis Vicariæ perpetuæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62442)

- multa, num. 3. de preb. Fagnan. eodem loco num. 9. & 10.*
- 167 *Num. 24.* Cardinales perpetui Commendatarii habent facultatem presentandi, eligendi, ac providendi ad omnia Beneficia Ecclesie commendata, ut tradunt *Lotter. de re benef. lib. 2. quest. 33. num. 12. & 13. Tondut. quest. benef. tom. 2. par. 3. cap. 18. num. 1. & seqq.* Verum hoc faciunt tanquam Ordinarii Collatores, adeo in mensibus reservatis non conferant Beneficia predicta, nisi tanquam
- 168 Indultarii; & ideo tunc eorum provisi, tenentur infra quatuor menses confirmationem obtinere à Dataria Apostolica, expeditione Bullarum, aliàs collatio Cardinalis nulla esset, & ab alio Beneficium collatum impetrari posset à Dataria: Hæc enim conditio apponi solet in Indultis Cardinalium; dummodo tamen Beneficia per eos in mensibus reservatis collata excedant summam Ducatorum 24. de Camera, & sic scuta quadraginta monetæ, nam cætera minoris redditus liberè conferunt, dummodò non sint affecta duplici affectione, talia enim Beneficia vigore Indulti non conferunt, eis obstante Bulla *Urb. VIII. la 288. Rot. decis. 154. num. 1. p. 16. rec. & in Mediolan. Prioratus 16. Junii 1679. & 9. Julii 1681. cor. Pauluccio.*
- 170 *Num. 28.* Episcopus Neocastrensis ad consulendum numerositati Populi, divisit Parochiam, & duas portiones Curatas constituit æquè principales; *Sacr. Congreg. Concilii 15. Decembris 1703.* divisionem in duas portiones Curatas non sustineri, & invalidum fuisse concursum respondit, & resolutionem 16. Februarii 1704. confirmavit, & cum hac declaratione, concordant alia Decreta allegata *eodem tom. 2. tit. 13. form. 1. pag. 9. num. 41.* quia numerositati Populi providendum est ad formam Concilii *cap. 4. sess. 21. de reform.* non autem per dismembrationem.
- 171 *Num. 33.* Ubi reperitur, quod Ecclesia Curata est unita, & annexa alicui capitulo, vel Collegio Sæculari, vel Regulari, cum exercitio promiscuo, pœnes omnes Canonicos, vel Collegiales, tunc in Visitatione solet provideri, ut certus Vicarius, sive sit de eodem corpore sive

extra deputari debeat, ut ita Oves certum habeant Pastorem, quem agnoscere debeant: Et è converso certa sit persona, quæ sciat illud onus sibi incumbere, & à qua Episcopus in Visitatione, seu extra rationum redditionem de sibi commissis Vicariis petere valeat. Erectio igitur Vicariæ modo sequenti fieri poterit.

## F O R M U L A

## Decreti erectionis Vicariatus.

CUM in nostra Visitatione generali habita in Terra N. hujus nostræ Diocesis invenimus in Ecclesia Collegiata sub Invocatione S. N. curam Animarum eidem annexam exerceri à Canonicis promiscuè, & turnatim non sine neglectu; Volentes animarum saluti salubriter providere, & pro bono regimine earundem ità expedire judicantes, titulum, & Vicariam perpetuam in dicta Ecclesia Collegiata erigere statuimus: prout autoritate nobis à *Sacro Concilio Trid. sess. 7. cap. 7. de reform. & à constit. S. Pii V. la 47.* & omni alio meliori jure, quo possumus, pro uno Presbytero, perpetuo futuro Vicario, qui inibi personaliter resideat, & curam Animarum præfaram exercere, ac illius intuitu, seu causa, eidem in Divinis deservire, & Parochianis Ecclesiastica Sacramenta ministrare, nec non omnia, & singula, quæ ad Parochum, & Curatum de jure, consuetudine, necessitate, aut aliàs quomodolibet spectant, facere, & gerere debeat, perpetuò erigimus, & instituimus à dicto capitulo *Canonicorum nominando*, & presentando, & à nobis, & successoribus nostris approbando, & instituendo: Curamque predictam, *privativè ad Collegium transferimus*, & eidem Vicario annectimus, & perpetuò imponimus. Curæque sic erectæ *pro ejus dote*, & Vicarii sustentatione, scuta . . . ex propriis fructibus, & redditibus ejusdem Ecclesie Collegiata, perpetuò applicamus, appropriamus, & assignamus, & per dictos Canonicos, & Capitulum



tulum singulo anno tradi, & pro rata singulo anno tradi, & pro rata singulis mensibus solvi mandamus, ultra emolumenta incerta servitii, & exercitii Curæ, primo remanente Statu Ecclesiæ. Et ita exigimus, & respectivè assignamus omni, &c.

N. Episcopus N.

N. Cancellarius, & Visitationis Not.  
& Secr.

## ADNOTATIONES.

172 *Promiscuè, & Turnatim.* Cura Animarum annexa Collegiata Sæculati, seu Monasterio Regularium, quæ non sit de Mensa, vel Cathedrali Ecclesiæ, non expedit, ut exerceatur à Canonicis per turnum, seu per vices, sed debet constitui Vicarius certus, & perpetuus (quamquam possit esse amovibilis arbitrio Episcopi) vel annecti Cura certæ Præbendæ, quia Vicarii Temporanei tanquam Mercenarii, curam Animarum, non rectè administrant, ut observant *Piassec. in prax. p.2. cap.3. art.2. de visitat. Eccles. Cathed. num.21. Card. de Luc. supra Conc. disc.9. num.1. & 2. & latè Fagnan. in cap. ex parte, à num.14. usque ad num.35. de Offic. Vicar.*

Quare Episcopus *Acernen.* de anno 1645. in relatione Status illius Ecclesiæ obtinuit à Sacr. Congreg. Concilii responsum: *Episcopum erigere debere Vicariam perpetuam pro exercitio Cura Animarum, cum assignatione congruæ ducatorum Regni quinquaginta ex massa communi Ecclesiæ Cathedralis, in Reliquis remanente Ecclesiæ Statu solito.* Et reclamante Canonicorum Capitulo, *Sacr. Congreg. die 5. Maji 1646.* stetit in decretis, ita tamen, ut si Præbenda Canonialis non ascendat ad valorem ducatorum quinquaginta Regni, possit Episcopus assignare ratam deficientem ex massa communi Capitulo.

Et in alia *Ufrenien.* cum dubitaretur an cura Animarum incumbens Cathedrali, esset, necnè annexa Canonicatui proviso à Sede Apostolica: propositis dubiis. *Primo, an constet de unione Vicaria per-*

*petua Canonicali? & quatenus negativè. Secundo, an sit de novo unienda, & adnectenda? Tertio, an dicto Vicario perpetuo assignanda sit congrua, & in qua summa? Quarto, an eidem Vicario perpetuo competat omne exercitium Cura privativè, quo ad ceteros de Capitulo?*

*Die 2. Junii 1696. Sac. Congreg. Concilii respondit. Ad primum constare de unione, & nihilominus ad cautelam esse iterum faciendam. Ad secundum, jam provisum in primo. Ad 3. assignandam esse congruam arbitrio Episcopi, dummodo non excedat summam ducator.60. computatis in ea fructibus præbendæ, & aliis ad formam bullæ s. mem. Pii V. Ad 4. affirmativè.*

Et reposita causa ad Instantiam Capituli die 20. Aprilis 1697. sub dubio: *An in congruam Canonici Curati impartari debeant distributiones quotidiana, qua dantur ratione servitii personalis, & interessentiæ choro, nec non cetera emolumenta Parochialia expressa in sententia Episcopi?* Sac. Congreg. respondit. *Affirmativè quoad distributiones, & quoad expressa in sententia Episcopi negativè.* In sententia autem Episcopi expressum sic erat: *Computatis tamen in eadem congrua fructibus præbendæ omnibus, etiam incertis emolumentis, & aliis obventionibus percipi solitis.*

Et in causa *Augusten.* ad 5. dubium in quo quærebat Episcopus, an posset deputare Vicarios perpetuos in Parochialibus Capitulo unitis extra Cathedralium Sac. Congreg. particularis deputata die 4. Septembris 1696. respondit, *Episcopum posse providere ad formam Concilii Trident. cap.7. sess.7. de ref. & Constitut. S. Pii V. la 47.* licet Capitulum prætenderet, quod stante immemorabili deputandi Vicarios ad nutum non posse deputari Vicarium perpetuum.

Et in alia Romana Curæ S. Marci, in qua cum Cardinalis Titularis, qui Curatum amovibilem ab antiquo tempore nominabat, prætenderet, quod Card. Vicarius Urbis non posset in dicta Ecclesiæ deputare, & instituere Vicarium perpetuum; Congreg. deputata quinque Cardinalium die 28. Jan. 1700. re-